

te studioſis conuenit.

Amplius ſi multipliciter dicitur, poſitum autem ſit, quoniam ineſt, aut quoniam non ineſt. Alterum demonſtrare eorum, quæ multipliciter dicuntur, ſi non vtraque contingat. Vtendum autem in iſis quæ latent, nam ſi non lateat multipliciter dictum, inſtabit quoniam non demonſtratum eſt id, quod ipſe dubitat, ſed alterum. Hic autem locus conuertitur, et ad conſtruendum, et ad deſtruendum, nam conſtruere volentes, quoniam alterum ineſt, ſi non ambo poterimus. Deſtruentes autem, quoniam non ineſt alterum oſtendemus, ſi ambo non poterimus. Veruntamen deſtruenti quidem nihil oportet ex conſeſſione diſputare, neque ſi omni, neque ſi nulli dictum ſit ineſſe. Nam ſi oſtenderimus, quoniam non ineſt, quodcumque id ſit, interimentes erimus omni ineſſe. Similiter autem, et ſi vni oſtenderimus ineſſe, interimemus nulli ineſſe.

Tres loci hic ſunt. et duo poſt hunc accipiunt occaſionem argumentationis ab his, quæ multipliciter dicuntur, quorum primus ab æquiuocis, nam ſi acciderit ut alieni, uel non alicui poſitum ſimpliciter, et ſine determinatione æquiuocum inquit oportere diuidentes ipſum a ſeipſis. Aſſignauit autem nobis locos in primo libro ante hunc, per quæ poterimus cognoſcere, et diuidere ea quæ multipliciter dicuntur, ſi non in cunctis ſignificatis poſſumus oſtendere oppoſitum ipſi poſito in aliquo ipſorum, in quo non ſic poteſt oſtendi nam oſtendentes in hoc uidebimur deſtruere poſitum eo quod latet æquiuocatio, et ut ſimpliciter poſitum dicitur, ut ſi quis poneret quod dormiens non ſentit, non ſentire dicuntur qui habent potentiam ſentendi. Rurſus ſi fuerit poſitum, quod ſtudioſum decet ciuilia tractare, oportet diuidere ipſum decens, et conueniens, quod quidem ſignificat honeſtum, et utile, et neceſſarium. E quidem neceſſarium, quod dico dicimus omne factum conueniens eſt corrumpi. Vtile uero quando dicimus eſſe decens uti deambulatioibus, uel tali dicta. Et bonum ſive honeſtum, quando dicimus conueniens eſſe iuſta facere, uel parere legibus, uel parentibus. Tot igitur ipſo ſignificatè ſi oſtenderimus, quod non conſert ſtudioſo ciuilia tractare, uel quod non eſt neceſſarium ipſi res ciuiles agere uidebimur deſtruere poſitum, quia hæc ſignificat ipſum conueniens. Quod ſi quis diceret non eſſe decens conueniens; ipſi ſtudioſo ciuilter agere, oſtendentes quod ſit bonum. Nam præeſſe patriæ, atque opem ferre patriæ, et optima conſultare bonum eſt, decens autem hoc ſignificat, ſic toleremus poſitum. Rurſus quodam poſito conuerſim ſequi uirtutes, uel non conuerſim ſequi diuidentes uirtutem, et accipientes uirtutem naturalem, et uirtutem ſecundum rationem, et de naturalibus oſtendentes quod non conuerſim ſequuntur deſtruemus ipſum conſequi uirtutes, quod ſi de uirtutibus ſecundum rationem oſtendentes ipſas conuerſim ſequi tollemus ipſum non conuerſim ſequi. Nam quia latet quæ multipliciter dicitur, uidetur dicendum dici de natura ipſa, de qua dicebatur etiam poſitum in problema. Ideo etiam creditur ipſum eſſe deſtructiuum. Sunt præterea in quibus etiam omnia ſignificata accipientes, et in omnibus his poteſt deſtrui poſitum, ut ſi aliquis diceret, quod non oportet

philophari, quia philophari dicitur etiam idipſum queri, ſive oportet philophari, ſive non, ut ipſe dixit in ipſo exhortatio. Item eſt Philoſophum adire contemplatione, unde utrumque oſtendentes homini peculiarem eſſe undique deſtruemus poſitum, igitur de hoc ſecundum ambo poteſt oſtendi poſitum. Verum in primis exemplis non in omnibus, ſed uel per utrumque, uel ex quibusdam. Patet autem, quod in quibus poteſt in omnibus ſignificatis oppoſitum propoſito oſtendere, quod oportet manifeſtam facere diuiſionem illius, quod multipliciter dicitur. Inquit autem hoc loco utendum eſſe in his quæ latent, quod poſitum multipliciter dicitur, et ſecundum aliquod ſignificatorum ſic ſe habet, ut ponitur, et ſecundum aliquid non, nam ſi non latuerit, prompte inſtabit contra problema qui inſtare uoluerit, quia non quatenus ponit, inſtantiam contra ipſum, et deſtructionem facit, ſed ſecundum aliud ad nomen, et ſophiſtice obiectionem faciens. Porro ad poſitum animal animatum eſſe inſtans, et oſtendens, quod peſta animalia dicuntur, ſed non ſunt animata, et hæc obiectione inſtantia ne facile deprehenditur, eo quod plana eſt diuſitas nominis, et perſpicuo ponitur animatum non prædicari de animali ſic dicto. Inquit autem conuertit locum hunc. Et enim ad conſtructionem, et deſtructionem eſt utilis. Non enim ſolum deſtruendum eſt ipſum poſitum problema quo utebatur, ſive affirmatiue, ſive negatiue ponatur, ſed etiam probandum, id eſt uniuerſale poſitum, quod tale eſt quale ponitur oſtendi, nam hoc conſtruere nunc dicit, uniuerſale oſtendere, ſed non deſtruere poſitum, nam maxime conſtruere de affirmatiue poſito dicitur. Vnde dicendo quod etiam conſtruere, et deſtruere poſſibile eſt, et quia deſtruemus poſitum alicui, ſi alicui oſtenderimus non ineſſe, et probauimus, conſtruxerimus alicui ineſſe, quia uniuerſale affirmatiuum non conſtruitur, et probatur per particulare. Nam deſtruitur etiam uniuerſale affirmatiuum per poſita particularia, non probatur autem conſtruiturque, nec uniuerſale affirmatiuum, nec uniuerſale negatiuum per aliquod particulare. ubi quoddam diſcrimen ponit inter conſtruere, et deſtruere, nam poteſt etiam particulare affirmatiuum oſtendi, et particulare negatiuum, ut prius dictum eſt, ſi uſi fuerimus diuiſione multipliciter, ſed quia negatiuum particulare per ſe ſufficiens eſt ad deſtructionem uniuerſalis affirmatiui, ut etiam affirmatiuum particulare ipſius uniuerſalis negatiui. At minime affirmatiuum particulare per ſe ſufficit ad conſtructionem uniuerſalis affirmatiui, ſed quomodo poſſimus per ipſum conſtruere dicit.

Conſtruentibus autem præconſtitendum, quoniam cuius ineſt, omni ineſt, ſi veriſimile ſit poſtulatam. Non ſufficit enim ad oſtendendum, quoniam omni ineſt, in vno diſputaſſe. Vt ſi hominis anima immortalis eſt, propter hoc anima omnis immortalis, quare præconſtitendum, quoniam ſi quæcumque anima immortalis, omnis immortalis. Hoc autem non ſemper faciendum, ſed quædo non facile poſſumus conuenem in omnibus unam rationem dicere: quemadmodum geometer, quoniam triangulus duobus reſtibus æquos habet tres angulos. Si autem non lateat, quod multipliciter dicitur, diuidendum quotupliciter dicitur, et interimendum, et conſtruendum, ut ſi decens eſt